



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sol.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A securis. Ita ille passim acerrimus Christiani nominis propugnatur, labentem hanc aciem restituere contendit, cui veluti sacra innixus anchoræ, uxorem quoque una ovis commemoratione, ad vidualis pudicitia observationem adhortatur. Probe enim uxor, inquit, quæ maritum in pace premisit, pro anima ejus orat, & refrigerium interim postulat ei: & in prima resurrectione consortium, offertq, annuis diebus, dormitionis ejus, & quæ plurima omnium lectione digna prosequitur.

ABSENTIA DIUTURNA. CAP. II.

Utumque autem de morte Phœnicis traditum sit, Ægyptii sacerdotes tam diuturnæ migrationis ergo, eum qui peregre profectus diutissime domo procul abfuisset, per hanc alitem significabant: proter vivacitatem autem, animam hic diuturno tempore versatam. Nam animi patriam non esse corpus, sed nos hic, quamdiu vivimus, peregrinari, non Ægyptii tantum, sed Græcorum, Latinorumque authores præstantissimi, nostraque in primis pietas, passim admonere.

SOL. CAP. III.

Cum vero Phœnix unicus omnino esse perhibetur, & pulcritudine volatiliū genus omne longo post se relinquit intervallo, quippe qui sit aureo circa colla fulgore rubicundus, cætero corpore purpureo, caruleam caudam roseis pennis distinguētib; cristis faciem caputque plumo apice, ut Plinius diceret, honestatus, simulacrum Solis ab Ægyptiis ferebatur, cui: quod solus sit, à raritate nomen: quo quidem nihil admirabile magis intuemur, dum lumen ille suum longe lateque per ima etiam penetralia exiguo quovis aditu, veluti suprema quadam inundatione diffundit, eaque de causa πῶλος cognominabatur, id enim est apud Philippum Ægyptii vocabuli significatum, voce Græcānica inductum, à multarum scilicet dotum opulentia, magnitudineve: quia omnia sibi collata latissime superat, & excellit.



Phœnix Solem denotat

Plin. ibid. Solis etymon à Μῆα crabio. lib. 1. c. 20.

PRÆSTARE. CAP. IV.

Ægyptii denique cum Sole magis quam reliqui homines gaudeant, ejusque beneficio perfruantur quo maxime fervet tempore, provinciis reliquis quantumlibet remotis, & in Septentrionem declinantibus gravis, Ægyptiis solis est commodus: Nilo tunc scilicet exundante. Cum vero per Phœnicem Solem intelligerent, per eundem exundationem identidem significabant. Neque tamen simplex erat apud eos exundationis vocabulum, sed id PRÆSTARE ET EXCELLERE etiam indicabat, atq; uti cujusquam esset in aliqua vel ingenii, vel corporis, vel opum dote claritas, ita eum exundare dicebant. Nos quoq; rarissimos doctrina virtuteq; viros, qui longe reliquos antecellunt, Phœnices appellare consuevimus. Opposito vero modo, Multitudo, pro vilitate ponitur: ut Unus è multis, apud Plin. in Epistolis, ex vulgaribus quippe & ignobilibus hominibus. Et apud Cicer. Multi sæpe eodem sensu. In sacris literis Psal. 71. Quasi prodigium factus sum multis, hoc est, imprudentibus, insipientibus & ignobilibus.

DE PELECANO. CAP. V.

Ex eadem solitudine Pelecanus occurrit, quem Latini Plateam, ut putat Gaza, vocare. Nam sunt qui Plateam eam apud Plinium vocandam existiment, voce hac ex Ciceronis de Natura Deorum, lib. 1. desumpta, Idem nomen apud Hebræos Quat, à nonnullis Pelecas, ab aliis Onocratalus interpretatur Pelecanum sane avem parvam esse, quæ solitudine delectetur, Eucherius scribit. Esse tamen aliud Pelecanorum genus in Nilo, non inficiatur, passimque in stagnis & lacustribus locis habitare, pene Cygnis simile, nisi quod paulo majores sunt. Atque hi forsan Onocrotali, quos Veneti syllabis aliquot ademptis, Crotos vocant. Devorant hi conchas avidissime, multitudinemq; laxo admodum ingestam gutturi evomunt, atque ita mox quod aptum cibo quasi coctum absument, crustas negligunt. Deque genere hoc dubio procul quæ dicturi sumus hieroglyphica desumuntur.

INSI.

Quod eὐθὴ mergens τὴν ἀγρὴν ἐλάττει δὲ τὴν κρητὴν κρητὴν λισμὸς, ἄσινος ἔρδιον.